

potest fieri divortium primo propter lapsum unius in haeresim, vel apostasiam omnimodam a fide Christiana. Patet ex c. 7. de divort. ubi ita resolvit Innoc. III.: *Si alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim, vel transeat in gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.* Ergo propter has causas non fit dissolutio quoad vinculum. Idem de haeresi patet ex *Trid.* sess. 24. can. 5. supra cit. *Urbanus* autem III. c. 6. de divort. resolvit: *De illa vero, quae viro suo labente in haeresim, ipsius consortium sine iudicio Ecclesiae declinavit, videtur nobis, quod mulier... ei, cum reversus fuerit, est reddenda, quae etiam si reverti noluerit, compellatur. Si vero iudicio Ecclesiae ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Secundo, divortium temporale fieri potest ob periculum animae, quando unus conjugum instigat alterum ad gravia peccata, ut est sodomia, veneficium, latrocinium, furtum etc., quia jure naturali, divino et humano licet remove periculum ruinae spiritualis etiam cum incommodo illius, qui instigat ad illud. Vide can. 5. XXVIII. q. 1. ... Tertio, ob periculum corporis, quod ex unius morbo contagioso, v. g. lepra, lue venerea etc. imminet parti sanae. Vide c. 1. de conjug. lepros. et seq. ib. ... Quarto, ob saevitiam unius, v. g. si maritus uxorem nimis crudeliter tractet, vel si uxor insidias vitae mariti struat etc. c. ex transmissa 8. de restit. spoliat. Quinto, ob valde molestam cohabitationem ex perpetuis jurgiis, discordiis ac rixis, si ab unius inveterata improbitate quotidie moveantur, nec prudenter credantur alia via posse impediri: ex his enim periclitatur salus animae et corporis. Haec tamen divortia temporalia requirunt auctoritatem iudicis ad vitandum scandalum, quamdiu pars nocens non redierit ad frugem, vel periculum non cessaverit. *Pichler* de divort. n. 17.

1184. *Princip.* V. Causas matrimoniales dijudicare pertinet ad iudicium Ecclesiasticum. Patet ex can. 12. sess. 24. *Trident:* *Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Quo ordine et forma, et coram quibus causarum matrimonialium iudicia sint peragenda, erudite docet Constitutio *Bened. XIV.* quae incipit: *Dei miseratione.* Vide T. 1. ejusdem Bullarii p. 81. Idem Pontifex de lege: *Ne quis:* cod. de *Judaeis* (ubi agitur de matrimonio *Judaeum* inter et *Christianam*) expresse ait, *quod haec lex, utpote a laico Principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debeat.* Tom. III. ejusd. Bull. epist. II. quae incipit: *Singulari nobis consolationi* §. 7.

1185. *Princip.* VI. Polygamia simultanea, qua vir unus simul habeat plures uxores, prohibita est jure divino, naturali, ecclesiastico et civili. Dixi 1. *jure divino*, ut patet ex ipsa institutione matrimonii a Deo facta in paradiso, dum Gen. 2. v. 24. praecipit: *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Ad quem statum primaevum Christus reduxit matrimonium, Matth. 19. Praeterea pluralitas uxorum repugnat sacramentali significationi matrimonii, cum non possit significare unionem unius Christi cum una ejus sponsa Ecclesia. Dixi 2. *jure naturali*, non quidem absolute, ut multi contra multos defendunt, quasi esset ita intrinsece malum habere plures simul uxores, ut nunquam etiam ex dispensatione divina possit fieri licitum, sicut odium Dei nunquam potest fieri licitum; sed *conditionate* tantum, scil. nisi Deus ex supremo suo dominio in corpora nostra dispenset, sicut in V. T. dispensavit cum Abraham, Jacob, et David. Ideo autem a DD. asseritur simultanea pluralitas esse contra jus naturale, quia repugnat saltem finibus secundariis nuptiarum: *Primo* quidem parem in viri corpus habet potestatem uxor, ac vir in corpus uxoris: ergo sicut

mulier tradere non potest jus in corpus suum alteri viro, ita nec vir tradere poterit jus in corpus suum secundae, vel tertiae, vel pluribus uxoribus. *Confirm.* Repugnat rem venditam et traditam uni, denuo alteri tradere: ergo a pari. *Secundo*, inter fines matrimonii absque dubio lege naturali computari debet animorum intima conjunctio, individua vitae societas, pax in re familiari, filiorum liberalis educatio etc. Atqui pacificae cohabitationi, conjunctioni animorum repugnat pluralitas uxorum, quae non facile inter se, et cum ipso marito forent concordēs tum propter foecunditatem unius, et sterilitatem alterius, ut patet in Sara et Agar. Dixi *tertio, jure Ecclesiastico*; sic *Trid.* sess. 24. can. 2. definit: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Vide c. *si quis* 9. XXXII. q. 7., totum titulum de sponsa duorum. c. *gaudemus.* de divort. L. 1. ff. de his, qui not. infam. l. 2. c. de incest. nupt. Item ex *poenali ordinatione Caroli V.* art. 121. Adde ordinationem criminalem *Josephi I.* art. 19. §. 25., ubi in polygamiam statuitur poena gladii. Ex his eruitur, quod magis adhuc prohibita sit *polyandria*, ut una uxor plures simul habeat viros, cum hoc magis repugnet generationi, et bonae educationi prolis; neque in polyandria unquam a Deo dispensatum fuit, neque illa ab ulla gente etiam barbara unquam permissa est.

Denique dixi, *polygamia simultanea*: quia successiva post mortem unius permissa est, teste Apostolo ad Rom. 7. v. 3.: *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem habetur 1. Cor. 7. v. 39. Haec tamen polygamia successiva, quae etiam vocatur bigamia, inducit irregularitatem, uti dicitur *Tractat.* ultimo.

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I. De contractu matrimonii.

Petronius cum Pelagia matrimonium contracturus praemissis trinis proclamationibus statuto die comparet coram Parocho et testibus. Dum interrogatur a Parocho de consensu, capite tantum annuit; sponsa prae gaudio incipit flere, et praeterea nihil respondens porrigit manum.

1186. Q. An utrinque censi possit adfuisse sufficientem consensum? R. *Affirmative.* Ex parte sponsi sufficienter denotabat consensum annutus: solo enim nutu valide et licite fiunt alii contractus, nec constat de praecepto, quod sola verba formalia necessario requirantur. Imo consensus saepe aliter exprimi non potest, sicuti in muto: nihilominus ad praecavenda plurima incommoda praestat verbis formalibus uti, ideoque in solemnī benedictione monendi sunt contrahentes, ut expressis verbis annuant. Sponsa pariter consensisse praesumenda est hoc ipso, quod libere accesserit, nec contradixerit, sed juxta morem ad confirmandum consensum porrexerit manum. De signis exprimentibus consensum, item de verbis certo vel dubie exprimentibus illum, fuse agit *P. Kugler* de matrim. p. 1. c. 1. §. 6. et 7. a n. 50. et seq. Vide etiam *Schmalzgrueber* tit. 1. de spons. n. 275. His tamen studio non immoramur, cum post *Trid.* in contrahendis matrimoniis coram Parocho et testibus non tolerentur signa ambigua, et in Ritualibus exprimentur tales verborum formae, quae certo significatur consensus.

CASUS II. De ficto consensu.

Plutarchus ex Hollandia in Franconiam redux urgentibus parentibus tandem absque animo vere contrahendi, sed accipiendi largam a

parentibus et sponsa pecuniam in facie Ecclesiae init matrimonium cum Christina. Post nuptias clam redit in Hollandiam, ibidem cum Alexandra valde sibi nota contracturus; prius tamen rem aperit Sacerdoti Catholico, cujus suasu redit in patriam, et cohabitavit cum Christina.

1187. Q. I. An et quomodo peccaverit Plutarchus fecte contrahendo matrimonium? R. Duplex commisit peccatum grave, injustitiae et sacrilegii; quia Christinae bona fide se obliganti ad matrimonium in re gravi gravem intulit injuriam; ac praeterea contra reverentiam Sacramenti egit: sacrilegii enim reus est minister fecte signa Sacramenti adhibens. *Laym.* de matrim. c. 6.

1188. Q. 2. An valeat hoc matrimonium? R. Non valet; sine consensu enim matrimonium non subsistit, ut patet tum ex natura contractus, tum ex c. 14. et 26. de sponsal.

1189. Q. III. Ad quid Plutarchus in utroque foro sit compellendus? R. 1. In foro externo compelli debet ad conhabitandum cum Christina, quia pro valore matrimonii stat praesumptio violenta et vehementissima, cum propriis verbis coram Parocho et testibus contraxerit: ideoque in hoc foro non creditur Plutarcho alleganti etiam cum juramento fictionem, quia in causis valde arduis, qualis est matrimonialis, locum non habet juramentum suppletorium, praesertim in favorem proprium, sed requirunt probationes luce meridiana clariores, dum agitur de matrimonio dissolvendo. Ita *Laym.* l. c. n. 3. ex c. *per tuas* de prob. et l. *generaliter*, C. de non numerata pecunia.

R. 2. In foro interno credendum quidem est Plutarcho asserenti fictionem; valet enim pro hoc foro regula *S. Thom.* quodlib. 1. a. 12. *In foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se simpliciter asserenti; in foro autem poenitentiae creditur homini pro se et contra se.* Nihilominus modis omnibus prohiberi debet, ne matrimonium cum tertia contrahat, sed praestito consensu vero redintegret matrimonium fecte initum; tum quia alio modo injuriam Christinae illatam, (praesertim si copula accesserit) nequit compensare; tum quia contractus saltem innominatus hic intercessit. Deinde vix poterit alia via tollere scandalum ex ficto matrimonio solemniter celebrato publice divulgandum, neque hic debet absolvi in confessione, donec deceptae sponsae satisfacere plene statuatur. Refert tamen *P. Laymann* l. c. n. 2. quosdam casus, in quibus deceptor non ad matrimonium, sed ad compensandum alio modo damnum obligandus est: *Primo*, si decepta pro virgine se falso jactaverit, sic deceptio deceptione quasi compensatur. *Secundo*, si ex tali matrimonio infelices exitus merito timeantur. *Tertio*, si decepta, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte accipiat. *Quarto*, si deceptor, non expectata Ecclesiae sententia, et derelicta putatitia uxore, aliam valide duxerit.

1190. Quid si talem deceptorem, dum aliam duxit, iudex Ecclesiasticus propositis censuris compellat ad primum matrimonium? Respondet *Laym.* ib. cum *S. Th.* in supplem. q. 45. a. 4.: Si nulla ratione effugere possit, quominus deserta posteriore legitima uxore, priori putatitiae adhaereat, potest quidem illi aliquamdiu cohabitare; potius tamen excommunicationis sententiam secundum forum externum sustinere debet, quam ut in copulam consentiat, quia id foret verum adulterium, quod iudex ecclesiasticus jubere non potest. Vide etiam c. *Inquisitioni*, de sentent. excomm.

1191. Q. IV. Quomodo revalidandum sit matrimonium Plutarchi cum Christina fecte initum? Respondent graves AA. cum *Sanch.* l. 2. d. 32. n. 9. et *Laym.* l. 5. t. 10. c. 6. satis esse, ut ille, qui non legitime consensit,

adhuc consentiat, dummodo altera actu vel virtute praestitum consensum non revocavit; quia in tali contractu ex una parte ficto nihil deest naturali aut divino jure requisitum, nisi consensus illius, qui fecte contraxit; supponitur enim, quod consenserit altera pars absolute, nec revocavit consensum: ergo si solus accedat verus consensus loco prioris simulati, licet parte altera inscia, convalescet contractus. Citat pro hac sententia *Sanch.* l. c. multos et graves AA. ibique infert *primo*, in tali casu non oportere alteri conjugi manifestari, matrimonium fuisse invalidum, quia hoc tantum necessarium est, ubi novus ipsius consensus exigitur, qui in hoc casu non requiritur; *secundo*, satis esse solum consensum internum ab eo ponendum, qui antea fecte consensit, quia externum consensum jam praebuerat, et solus internus desiderabatur; ergo satis est hunc supplere: ideoque *tertio* non esse necessarium, ut matrimonium iterum celebretur coram Parocho et testibus, utpote qui jam contractui externo astiterunt; hic autem proprie non celebratur matrimonium, sed tantum suppletur defectus interni consensus. Hanc sententiam confirmat *Sporer* hic n. 465 ex declaratione *Pii V.* et Congregationis Cardinalium, teste *Barbosa*, ibique fuse probat, quod quando matrimonium invalide est contractum ob impedimentum occultum coram Parocho et testibus, necesse non sit iterum adhibere Parochum et testes, sed quod sufficiat supplere defectum, v. g. ex parte consensus. Denique alii cum *Ledesma*, *Pontio* et *Comitolo* novum utriusque partis consensum requirunt, tum quod decepta non censeatur consensisse, nisi et altera pars consenserit, tum quod consensus sponsae non fuerit acceptatio corporis vere traditi, sed fecte oblata, quae sententia non caret sua probabilitate, praesertim cum aliquo modo agatur de valore sacramenti: ideoque in praxi suadendum, ut Parochus praemisso pio colloquio in praesentia bonorum amicorum ex talibus conjugibus conetur elicere novum consensum, quaerendo v. g. nonne nihil aliud vultis, nisi ut in matrimonio pacifice, et sicut decet bonos ac Christianos conjuges, vivatis? sic facile uterque affirmative respondebit, quin pars innocens de praeterita fraude quidquam advertat.

Porro hic advertit de revalidando matrimonio invalide contracto propter impedimentum utriusque contrahentium notum: si matrimonium sit nullum propter aliquod impedimentum indispensabile, cui ambo conjuges sibi conscii sunt, debent separari saltem a thoro, si subsit periculum incontinentiae, aut si impedimentum sit publicum, etiam quoad cohabitationem: si vero impedimentum sit dispensabile, petenda est dispensatio; interim autem abstinendum a copula. Obtenta dispensatione debet poni ab utraque parte novus consensus, et quidem si possit fieri, probabiliter coram Parocho et testibus, uti dictum est n. praeced.

1192. Q. V. Quid agere debeat Confessarius, si in confessione deprehendat impedimentum dirimens ante, aut post matrimonium contractum? R. 1. Si ante matrimonium contractum advertat, omni modo hortetur; ut desistant a contrahendo, vel saltem differant, donec impe-traverint dispensationem.

Quid, si parata sint omnia ad nuptias, urgeat infamiae periculum, vel alia gravia damna prudenter timeantur? R. Si his rationibus ita adhaereant contracturi, ut a contractu nolint desistere, suadere debet unicum remedium (quod *Pontius* l. 5. c. 35. vocat rationabile) ut non contrahant absolute de praesenti, sed sub conditione, si Papa dispenset, animo interim cohabitandi instar fratris et sororis; ita ut nullos actus turpes exercent, multo minus matrimonium consumment, donec Papa dispensaverit. *Ratio* est, quia necessitas videtur excusare tales sponso,

qui bona fide coguntur adicere conditionem utramque; prima quidem de impetranda prius dispensatione de se in ejusmodi circumstantiis prohibita non est, nec aliunde obstat valori contractus matrimonialis; alteram vero de cohabitatione instar fratris et sororis jus ipsum permittit in eo casu, quo vel ambo vel alteruter sponsorum primo bimestri deliberat de ingressu in religionem: ergo etiam in hoc casu ex gravissimis causis permissa videtur. Vide *P. Burghaber* cent. 2. cas. 100.

R. 2. Si Confessarius advertat impedimentum post contractum *mala fide* matrimonium, h. e. cum ipsi contrahentes antecederent vel sciverint, vel saltem dubitaverint de valore, debet *primo* indicare (intellige, poenitenti in confessione, extra quam id revelare nunquam licet) matrimonium esse nullum, et necessario vel dissolvendum, vel si possit fieri, revalidandum per dispensationem; interim vero utrique abstinendum a copula, aliisque actibus venereis, quia uterque mala fide supponitur contraxisse, et possessio m. f. coepta nullum jus tribuit in dubio. *Secundo*, si vero unus conjugum certo sciat, vel in, vel post contractum matrimonium impedimentum dirimens adesse, nec petere, nec reddere licite potest debitum, sed *potius* (ut respondet *Innoc. III. c. inquisitioni* 44. de sentent. excom.) debet sententiam excommunicationis sustinere, quam per commercium carnale cooperari peccato mortali; ille enim actus putatitiae conjugaliss esset fornicatio, cum certo sciat non esse verum matrimonium; et licet pars in bona fide existens petendo debitum non peccet, valide tamen id petere nequit, quia ex matrimonio invalido jus petendi valide non accipit. Dixi, *si certo sciat*: si enim unus conjugum dubitet, aut credat *ex causa probabili et discreta*, quamvis non evidenti et manifesta adesse impedimentum, debitum quod videm reddere potest, sed postulare non debet: si vero id credat *ex causa levi et temeraria* (deposita conscientia dubia) potest reddere et exigere debitum. Ita in eod. *c. inquisitioni*. mox laudato. Vide *P. Sporer* t. 4. c. 2. n. 371. et seq., et dicta in P. I. a n. 68.

R. 3. Cum *Bonacina* de imped. matrim. q. 3. puncto ult. et aliis ibid. cit. Confessarius non tenetur admonere poenitentem, qui invalide contraxit matrimonium ex ignorantia invincibili juris et facti, quando certo nullum sperat fructum ex monitione, sed certo praevidet grave scandalum, vel alia damna inde oritura: item quando scit, dispensationem non posse impetrari, monitionem autem fore frustraneam, eo quod admonitus adhuc sit accessurus ad uxorem, quam nunc scit, non esse suam. *Ratio* est, quia actus frustraneus nullibi praecipitur, et inter majora mala non evitanda minus semper est eligendum. Qui sequuntur *Paludanum* in 2. sent. d. 34. q. 1. procedunt ex hoc dictamine: quod ignorantia invincibilis impedimenti dirimentis, sive legis irritantis non obsit valori actus contra legem positi.

E contra Confessarius tenetur monere talem poenitentem, 1. quando monitio speratur profutura, sine scandalo et damno; item quando facile impetrari potest dispensatio; 2. quando adest periculum damni communis, scil. quando plures sciunt hujusmodi impedimentum, et inde scandalizantur; tunc enim bonum commune praevallet privato; 3. quando poenitens dubius post contractum matrimonium redditur, et interrogat de impedimento; 4. quotiescumque ignorantia est vincibilis, et culpabilis. Vide dicta n. 762.

Denique quilibet alius, qui extra confessionem impedimentum dirimens certo aut probabiliter sciat, debet illud sub gravi obligatione manifestare parochi, vel alteri Superiori Ecclesiastico, quia in hunc finem praemittuntur denunciationes.

CASUS III.

Placidus et Pulcheria neo-sponsi ad exemplum S. Elzearii et B. Delphinae mutuo consensu ante nuptias post consuetam S. Communionem ambo perpetuam castitatem in matrimonio servandam vovent, ac postea coram Parocho et testibus contrahunt.

1193. Q. An valeat matrimonium, quod contrahitur sub pacto vel sub voto servandi castitatem, item nunquam exigendi debitum conjugale? R. *Affirmative*; tum quia ejusmodi pactum, votum vel conditio non est contra substantiam matrimonii, quae plus non exigit, quam ut detur jus mutuum in corpora in actu primo, licet hoc per accidens aliunde ligetur; tum quia conjuges toto tempore conjugii possunt licite abstinere a copula: ergo etiam sub pacto vel voto ad hoc se possunt obligare.

Si dicas: juxta *c. fin. de condit. appos.* haec conditio, *si generationem prolis evites*, est contra substantiam matrimonii, ergo etiam haec: *si castitatem servaveris*. R. D. antec. Est contraria substantiae matrimonii, si evites generationem proli positive, et immediate in se, v. g. procurando abortum C. Si evites negative, abstinendo a copula N.

1194. Ad plures casus de essentia contractus matrimonialis resolvendos breviter *observa*: I. Quamvis expresse in jure non prohibeantur matrimonia inita sub conditione de praesenti, praeterito vel futuro, dummodo conditio non sit turpis, impossibilis, aut repugnans substantiae matrimonii (uti innuit *Urbanus III. c. super ea*, de condit. appos.), recte tamen monent *Tamb., Gobat, et Sporer* hic n. 326. ut a Parocho non admittantur, nisi ex causa gravissima, in promissione de praesenti conditiones praesertim de futuro, v. g. si sponsus officium obtinuerit, sed prius expectetur conditionis eventus, quam matrimonium celebretur per verba de praesenti; tum quia ex ejusmodi conditionibus non subsistentibus vel non impletis, et consequenter ex nullitate matrimonii oriri possunt gravia incommoda, scandala, et dissensiones; tum quia tales conditionate contrahentes facile sibi persuadebunt, ante eventum conditionis licitos sibi esse actus conjugales.

1195. II. Quamvis conditio de praesenti vel praeterito non suspendat matrimonium quoad valorem, sicut conditio de futuro, suspendit tamen quoad usum licitum, donec impletio conditionis cognoscatur, quia alioquin contrahentes se exponunt periculo fornicationis, si forte conditio non subsistat. Porro in praxi quidem tutius est, ut ii qui sub conditione contrahunt, impleta postmodum conditione novum ponant consensum: speculative tamen loquendo absolute id necessarium non est; cum enim consensus ille referatur in eventum conditionis, nec ab alterutro, uti supponitur, sit revocatus, etiam perseverare censetur usque ad conditionis eventum. Eodem modo sentiendum de praesentia Parochi post impletam conditionem. Denique si ante eventum conditionis accesserit copula, probabilis convalescit, et absolutum evadit matrimonium, quia tunc uterque conjux videtur recessisse a conditione apposita. Ita *c. per tuas*. 6. de condit. appos.

1196. III. Ad contractum matrimonii essentialiter quidem pertinet translatio juris corporis, et acceptatio illius ex parte sponsi et sponsae; necesse tamen non est, ut illa translatio expresse intendatur, sed sufficit, quod uterque facere velit id, quod fit per contractum matrimonialem, vel sicut solet contrahi in Ecclesia Dei. Ita communis.

1197. IV. Valide etiam contrahitur matrimonium per procuratorem, ut patet ex praxi, et ex *c. Procurator*. 9. de procuratoribus in 6. ubi tria decernuntur: *primo* quod procurator ad contrahendum pro altero matri-

monium debeat habere speciale mandatum; *secundo* quod procurator non possit deputare pro se alium, nisi hoc specialiter sit ei commissum; *tertio* si procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit revocatus (licet in se ipsa sponsa et procuratore), matrimonium postea contractum erit nullum. Debet autem procurator contrahere coram Parocho et testibus; quia praestare id, et eo modo, quod et quo modo essentialiter requisito, principalis praestare tenetur. *Excipe*, quod procurator contrahendo non debeat esse in statu gratiae, et consequenter non peccet de novo, contrahendo in tali statu; quia hic non suo, sed sui principalis nomine agit; ergo cum principalis contrahens sit minister et suscipiens hoc Sacramentum, ipse debet esse in statu gratiae, non quidem necessario illo tempore, quo procuratorem constituit, sed tunc, quando iudicat, procuratorem actu contrahere. *Sporer* hic n. 325. contra alios, qui affirmant, non requiri, ut procurator coram Parocho et testibus contrahat. Si principalis in amentiam inciderit post datam commissionem, vel eo tempore, quo per procuratorem completur contractus, *Pontius*, *Lugo* de Sacram. d. 8. n. 108., *Diana*, *Aversa*, *Kugler* de matrim. p. 1. c. 4. post §. 10. q. 10. n. 439. contra *Sanch.*, *Henric.*, *Bonac.*, *Arriag.* et alios multos dicunt, matrimonium fore invalidum, quia sicut mandatum expirat morte mandantis, ita videtur expirare mandante facto furioso, vel amente, ut habetur *L. qui servum.* 47. et *L. si quis alicui.* 48. ff. de acquir. haeredit. *Quid*, si principalis dormiret, vel ebrius esset tum, quando procurator contrahit? *R.* Esset validum matrimonium, quia persisteret adhuc intentio habitualis, imo per procuratorem agendo plusquam habitualis, sed virtualis. De aliis modis inter absentes contrahendi matrimonium per epistolam vel nuntium, vide *La Croix* l. 6. p. 3. n. 258. et n. 264., *Kugler* l. c. q. 11. Quod valide contrahatur matrimonium per interpretem, quando vel ipsi contrahentes se non intelligunt, vel Parochus et testes eorum idioma non callent, affirmat *communis* cum *Sanch.*, l. 3. d. 39., *Bossio*, et *Diana*; quia et alii contractus legitime fiunt per interpretem, imo et confessio sacramentalis: ergo a pari.

1198. V. Licitum est matrimonium conscientiae, quod dicitur ad *morganaticam* seu *Lege Salica* contractum (Trauung zur linken Hand). *Ratio* est, quia tale matrimonium nihil aliud est, quam legitima conjunctio viri illustris cum foemina inferioris conditionis in facie Ecclesiae, eo pacto inita, ut uxor et liberi ex ea nati dono nuptiali (quod *Morgengabe* seu *morganatica* dicitur), vel alia certa portione tempore sponsalium destinata sint contenti, et a ceteris bonis avitis ac paternis sive propriis, sive feudalibus una cum titulis, dignitatibus, et insignibus abstineant; atqui tale pactum non est contrarium substantiae matrimonii, sed tantum effectus quidam civiles amputantur; ergo. Praeterea honestas talis matrimonii satis patet ex fine bono et honesto, scil. tum ut bona familiae conserventur pro liberis prioris matrimonii vel agnatis, tum ut in non valente se continere, vel si parvis conditionis uxorem habere nequeat, evitetur periculum illiciti concubitus, ut insinuat tit. 29. l. 2. feudal. Plura de hoc fide apud *König* super tit. de sponsal. num. 91., *Krimer* in l. 4. Decret. num. 556., et *Kugler* loc. cit. a n. 461.

1199. VI. Probabilius sponsi in peccato mortali constituti non peccant dupliciter indigne suscipiendo et administrando hoc Sacramentum, sed graviter tantum delinquent indigne suscipiendo; quia solus minister qua talis peccat graviter, qui ad administrandum Sacramentum specialiter est deputatus et consecratus: ideo juxta c. *quaesitum.* fin. de tempor. Ordin. soli Sacerdotes et Clerici sub interminatione divini iudicii monendi

et obtestandi sunt, ne, antequam poenitentiam egerint, Sacramenta administrent. *Suar.* t. 3. de Sacr. d. 16., *Sanch.*, *Laym.*, *Bonac.*, *Filliuc.* contra *Hurtad.*, *Perez* et alios. Vide etiam n. 55. supra de Ministr. Sacram.

1200. VII. Matrimonium infidelium sive non baptizatorum, quamvis sit contractus pure civilis, jure tamen naturali indissolubilis est, excepto unico casu, dum unus conjugum convertitur, nec potest sine animae periculo, sine blasphemia, aut alia injuria Creatoris parti infideli cohabitare, ut patet ex epist. 1. ad Corinth. c. 7. v. 15. item ex c. *quando.* 7. et ex c. *gaudemus.* 8. de divort. In hoc casu pars conversa potest discedere ab infideli et alteri nubere: prius tamen, quam transeat ad alia vota, infidelis interrogari debet, an absolute recuset cohabitare, vel non nisi cum contumelia Creatoris, h. e. cum execratione Christi nominis et despicientia Christianae Religionis. Ita *Benedictus XIV.* l. 6. de Synod. c. 4. n. 3. *Ibid.* addit, quod si absit infidelis, vel lateat, ita ut interrogari non possit, tunc petenda sit dispensatio summi Pontificis, antequam cum alio contrahatur. Huic sententiae adhaesisse testatur S. Congregationem Concilii anno 1722. *Si vero alter fidelium conjugum vel labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquatur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare, ait Innoc. III.* in cit. c. *quanto.* Eodem modo expresse *Bened. XIV.* in Constitut. 89. quae incipit: *inter omnigenas,* et habetur in tom. 1. Bullar. §. 12. resolvit: *Quod si alicujus fidelis uxor ad Turcas confugiat, et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere; quum matrimonium jure divino conjugibus superstitionibus indissolubile, per hujusmodi mulieris facinus minime dissolvatur. Unde qui in tali casu alteram ducit, moechatur, et nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.*

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,

Vel te credentem scelus ad mortale trahentem:

Non sunt absque mora sic vincula rupta priora.

1201. VIII. Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento dirimente tantum ex jure ecclesiastico, v. g. consanguinitatis aut affinitatis, verum ac validum manet post eorum conversionem; quia in infidelitate contrahentes non obstringebantur legibus ecclesiasticis, ut patet ex cit. c. *gaudemus.* Secus si fuerit contractum cum impedimento ex jure naturali dirimente, v. g. quando pater filiam, et frater sororem duxerat. *Laym.* l. c. n. 6. Quaestio, an matrimonium infidelium post utriusque baptismum transeat in Sacramentum, utrinque defenditur a TT. Negativam tenet *Esparza* l. 10. q. 112. a. 6., *Illsung*, *Perez*, *Krimer* n. 352. et alii. Affirmativam vero *Bellar.* l. 1. de matrim. c. 5. sub fin., *Sanch.*, *Laym.*, *Gobat* tr. 10. n. 390. Hi qui affirmant, iterum dupliciter rem explicant; alii enim cum *Sanch.* et *Gobat* dicunt, matrimonium infidelium transire in Sacramentum per ipsum baptismum, alii e contra cum *Laym.* l. c. insuper requirunt novum consensum, quamvis non requirant assistentiam Parochi, aut benedictiones; quam sententiam *P. Kugler* l. c. q. 7. n. 405. merito vocat securiorem et probabiliorem, quia sic facilius assignatur materia et forma talis matrimonii eveci ad statum Sacramenti, et melius ostenditur causa omnimodae indissolubilitatis. In praxi quoque tutius erit pro valore Sacramenti, si novus consensus ponatur in facie Ecclesiae, et recipiantur simul consuetae benedictiones. Denique communissima sententia *Sanchesii* l. 2. d. 8. n. 2. est contra *Sotum*, *Catharinum* et alios, quod, si fidelis ex dispensatione Pontificis contrahat matri-